

Andreas Heinrich Bucholtz Iustus Centaurus

Exercitationum Practicarum Prima De Natura & Constitutione Philosophiae Practicae

Rostochi[i]: Richelius, 1636

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729459535>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1636
Andreas Klein. Bucholz
Justus Centaurus

Cum Bono Deo
EXERCITATIONUM PRACTICARUM
PRIMA
DE NATURA & CONSTITUTIONE
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ,

Quam

Permissu Amplifs: Facult: Philosophicæ
In florentissima ROSTOCHIENSI ACADEMIA

Sub Presidio

M. ANDRÆ HENRICI Bucholz,

Publicè discutiendam proponit

JUSTUS CENTAURUS

Hameliæ Brunsv.

Habebitur die 2. Januarii horis pomeridianis
in Auditorio UNICORNIS.

RostochI

Literis Richelianis, Anno M. DC. XXXVI.

101


INSTITUTIONE
PHYSICAE

INSTITUTIONE
PHYSICAE

PHYSICAE
INSTITUTIONE

PHYSICAE
INSTITUTIONE

PHYSICAE
INSTITUTIONE



Ad Praestantissimum & Doctissimum
DN. RESPONDENTEM.

Virtuti studuisse sat est: comitantur honores
est quem penes Virtutis ardor inclytus
Virtutem novisse parum: sed vivere vitam
Virtutis: id fama parabit gloriam.
Tu Centaure studes, novis, vivis q̄, quod ipsa
Virtus requirit: ergo fama te manet.

Præses.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Faint, illegible text, possibly a name or date.

Faint, illegible text, possibly a title or header.

Main body of faint, illegible text, possibly a list or a short treatise.

Faint, illegible text at the bottom of the main text block.

Faint, illegible text in the lower center of the page, possibly a signature or a date.



EXERCITATIO PRIMA
DE NATURA & CONSTITUTIONE
PHILOSOPHIÆ, PRACTICÆ.

Præloquium

Pæclara Doctissimi Piccolomini ad-
hortatio est, qua (cap. I. intr. ad dec. gr. Phil.
pr.) Stertentem, oscitatem & inermem in vitæ
cursu hominem peregrinum ad vigilias pruden-
tiamq; excitat, eiq; octo ad illustria & sublimia invitantes
voces audiendas proponit: *Primam Prepotentis Dei*, ad bo-
num allicientis, *Secundam separatarum Mentium*, nobis necessi-
tudinis nodo conjunctarum, & ad communem parentem
nos hortantium: *Tertiam Cælorum*, summi boni gloriam e-
narrantium: *Quartam Nature*, ad boni indagationem nos a-
ptos gignentis: *Quintam Rectæ Rationis*, ad bonum ducentis:
Sextam Voluntatis, nil nisi bonum volentis: *Septimam Premii*,
strenuè ascendentibus propositi: *Postremam Timoris mali*, la-
psos à malo revocantis & insublime bonum convertentis.
Merito sane tot tamq; tremendæ indefinenter ad-
hortantes voces nos expergefacerè, vitiorum somnum
excutere, & à pravi consuetudinè ad virtutis amorem ex-
citare debebant; verum enim verò, tanta tamq; perversa
nobis pravitas innata est, ut nec vocem Dei metuamus,
nec aliorum quoruncunque pensì habeamus, sed ruen-
tem in malum libidinem laxatis frenis sequamur, eiq; in-

Respond:
JUSTUS
CENTAU-
RUS
Hamelius
Brunsv.

A

sanæ

fanæ infaniores obtemperemus. Hoc detestandum natura nostræ vitium, nobis quidem ex revelato Dei verbo manifestissimum, nec Ethnici faniores prorsus ignorarunt, quocirca, ut extremæ huic malitiæ occurrerent, multa eaq; utilissima proposuerunt præcepta, quorum ductu, vitiorum turpitudine detectâ & in apricum posita, virtutis & honestatis cura carior nobis gratioq; fieret. Ad summam quidem virtutem, cujus vis omnis in pietate Deiq; agnitione posita est, suæ mentis indagine non pervenerunt, sed nec potuerunt, quippe cujus cognitio ex sola revelatione pendet: at vero, quæ ad formandos mores, nec non felicitatem civilem consequendam virtutes faciunt, & naturæ ductu viderunt, & præceptis egregiis adumbrarunt. Quamobrem non expedit, ea, quæ illi rectè docuerunt rejicere, & tanquam Ethnica, Diis manibus Tellurique deo vere, sed miremur potius Dei Dona, Ethnicis quoq; collata, eaq; ut nostræ utilitati conducentia, veneremur; spernamus autem illos artium Osiores, qui Ethnicorum scripta religionemq; exæquando, ut abominabilia detestantur omnia: Scimus enim, quantum hætenus utilitatis à Philosophia tam Practica quam Theoretica generi humano collatum sit, ita ut abiici & proscribi non meruerint. Quod ipsum & nos grata mente, agnoscetes, proposuimus nobis Doctrinam illam auream omniq; reipublicæ maximè necessariam, ETHICAM repetere, nec non distinctis quibusdam EXERCITATIONIBUS sub disputationis incudem revocare: ut autem de METHODI ratione Lectori constet, hanc nobis sequendam proposuimus,

ME-

METHODI RATIO.

Definitiones, Divisiones, Præcepta, Observationes,
Dubias quæstiones, certis & distinctis Thesisibus includemus,
iisq; succinctam & apertam *explicationem* subjiciemus, certis
paragrapibus distinctam.

VOTUM.

Quod ut feliciter cedat, nostrisq; multorumq; aliorum studiis con-
ducatur, ab illius invocatione ordinar, qui omnis felicitatis inex-
haustus fons est & scaturigo, ejusq; misericordiæ litamus, ut
gratia sua nobis adsit, nostrasq; Exercitationes ut summus Præ-
ses moderetur Amen.

ADMONITIO.

Ne Lector in citatione locorum Aristotelis nos errasse putes,
cum in distinctione capitum exemplaria variant; sciat nos secutos esse
exemplar Aureliæ Allobrogum, apud Petrum de la Royere An: 1606.
expressum.

Thesis I.

Philosophia Practica est pars Philosophiæ quæ Animum
humanum in virtutis Actione morali informat, ut
Homines ejus ope summam felicitatem civi-
lem consequantur.

S. 1. *Hæc Thesis ut rectè intelligatur, altius quadam repetenda
sunt, quibus vel spectis vel omisû, Practicæ Philosophiæ Naturam exactè
indagare & cognoscere non licet,*

2. *Posuimus enim in data definitione (quam meliori cognitionis
& informationis ergo tractatui præmittimus,) hæc verba Generis loco,
Pars Philosophiæ: ut igitur hoc genus ab adversariorum injuria vin-
dicemus,*

dicemus, quid Philosophia sit, & quomodo dividatur, *Aspiciendum est.*

3. Definitio Philosophiæ vulgaris hæc est: Philosophia est habitus, Sapientia & Prudentia constans: hæc ipsa verbis clarioribus apud Piccolom: c. 26. introd. sic exprimitur: Philosophia est contemplatio divinorum, humanorumq; moderatio, Explicationum ergo hanc addimus: Philosophia est habitus crebris actionibus acquisitus, contemplamur ea, que contemplanda Deus nobis in hac rerum universitate proposuit; & vitam nostram secundum rectæ rationis normam & honestatem instituimus.

4. Ex quo patet, duo esse, quibus Philosophia absolvitur: Unum Sapientia est (generaliter sumpta pro omnibus habitibus Theoreticis) id est, Contemplatio rerum necessariorum: Alterum Prudentia, hoc est, Animi nostri in honestate informatio. *liberum, et hoc dicitur.*

5. Quo posito, Philosophia divisio amplius ignorari nequit, quæ Philosophia alia est *Ἰωσφελικὴ* seu Contemplativa, alia *ἡγεμονικὴ* seu Activa. Quæ divisio non est Generis in Species, sed Integri in Partes, ut Thef. II. demonstrabitur.

6. Philosophia *Ἰωσφελικὴ* seu Speculativa est Pars Philosophiæ quæ in cognitione rerum necessariorum occupata est; ad Actiones autem informandas nihil omnino confere videtur Thef. IV §. 7.

7. Dicitur *Ἰωσφελικὴ* id quod *Ἰωσφελὴ* speculationi tota incumbit; quæ *Ἰωσφελὴ* sive speculatio neutiquam inanis est & otiosa, sed animum nostrum inscitie rubigine obfuscatum, acur, ignorantie tenebrarum involutum, illustrat, & quo ad fieri potest, debitam in eo perfectionem reparat, modo nos ductum nature & rectæ rationis sequentes, non ad opinionum nostrarum, sed ad veritatis lanceas res ad contemplandum propositas, ut par est, appendamus, & in sua natura consideremus.

8. Nostra enim mens, quæ multum modum hallucinatur, rebus essentialiam tribuere non potest, cognoscere potest; & hoc est quod Philosophi dicunt: Intellectum nostrum non mensurare res, sed à rebus mensurari; id nempe volunt; Omnia que existunt, ita esse considerata, prout à Deo sunt producta, non vero, quomodo ea animus noster fingere sibi potest.

9. Sed de hac Philosophia Parte ex professo agere, hujus loci non est, sufficit eam breviter tetigisse: progredimur igitur ad alteram, in Thesi definitam, quæ περ ἀληθείας dicitur διὰ τὸ περ ἀληθείας ab agendo: nam sicut Θεωρητικῆς (ut diximus) in contemplatione tantum, ita hæc in virtuosa Actione consistit.

10. Hæc est illa Philosophia Pars, quæ alias Prudentia indigitari solet, qui terminus idem quod Philosophia Practica infert; definitur enim à Philosopho, quod sit ἐξ ἑστὸς λόγου περ ἀληθείας διὰ τὸ ἀνθρώπων ἀγαθῶν καὶ κακῶν, hoc est; Habitus cum ratione activus, circa ea quæ hominibus bona vel mala sunt, l. 6. Ethic., c. 5.

11. Suppositis hīs cognitu necessariis, Definitionem in Thesi positam breviter examinabimus. Constat ea partibus duabus, Genere nempe, & Differentia. Genus est Pars Philosophiæ; quia enim Philosophia non est Genus, diversas sub se Species continens, sed Integrum analogum, partibus heterogeneis constans; in Totis autem Integris Partes mentione Totius (addita voce Pars) definiuntur, E. g. Manus est pars corporis, Ramus est pars arboris &c. Definitionis Leges requirunt, ut Philosophia Practica, quæ Philosophia Pars est, eodem modo definiatur.

12. Nemo vero turbetur, quod hæc Philosophia Pars absoluto nomine Philosophia (practica) vocatur; sit enim idipsum ob defectum vocabuli magis appositi.

13. Differentiæ Loco cætera in Definitione verba posita sunt, desumpta ea est tum à materia sive objecto, tum à fine, ut in accidentium definitionibus fieri consuevit, demonstrante Zabarella lib. 4. de Meth. cap. 14.

14. Materia seu Objectum Philosophiæ Practicæ circa quod est Animus humanus, quatenus Virtutibus informari nec non Virtuosas Actiones edere debes Finis est Summum Bonum Civile sive Felicitas Practica.

15. Itæ sententiam nostram breviter proposuimus, quæ ut eo certior evadat, adducemus opiniones contrarias, veritati non respondentem, ut ita cognito falso, verum fiat clarior.

Thesis II.

Philosophia Practica perperam definitur per
Philosophiam.

§. 1. Franc: Piccolemeus cap. 6. Introd. definit Philosophiam
Civilem (quam inibi Scientiam nominat) hoc modo: Civilis scientia est
Philosophia humanas actiones componens &c. ratio hujus definitionis
est, quia putat Philosophiam Civilem Speciem esse Philosophia, quod ta-
men falsum est.

2. Et ut falsitatem hanc demonstremus, sequentia, ut firmissima
supponimus. [1] Omne Genus legitimum tribuit totam definitionem
suam omnibus suis speciebus. (2) Genus Speciei suæ Differentiam
in se continere non debet. (3) Species plus actu continet quam Ge-
nus. *Quæ essata Philosophica nemo facile opinor negabit.*

3. Quod si ad hæc Regulas Definitionem Piccolominei applicave-
rimus, evestigio apparebit ejus vanitas. Nam (1) Philosophia definitio-
nem suam singulis partibus totam non tribuit, quia de Theoretica dici
nequit quod sit Prudentia, neque de Practica, quod sit sapientia. (2) ma-
nifestum est Definitionem Philosophiæ in se continere differentiam u-
triusq; partis. (3) plus Philosophia actu in se continet quam Theo-
retica vel Practica.

4. Concludimus ergo, neque Philosophiam ut Genus in Theoreticam
& Practicam ut species dividi, neque has diversas partes per Philosophiam
legitime defini.

Thesis III.

Philosophia Practica male definitur per
Prudentiam.

§. 1. Alii Phil: Practicam per Prudentiam tanquam Genus definire
solent, è quorum numero Beckius est, qui in sua *académia* Philof: Pract:
cap. 1. th. 4. talem definitionem format. Philof: Practica est Prudentia
guber.

gubernandi mores &c. quam ut liberet, distinguit inter Prudentiam Κοινῶς sive lae (pro tali disciplina, qua, cōsiderat ἐνδεχόμενα contingētia πρῶξενος ἐνεργ, actionis gratia) & ἰδίως sive stricte (pro virtute intellectuali, quæ est δεξιότητις, moderatrix & gubernatrix omnium virtutum moralium, quatenus ostendit mediocritatem in actionibus pro ratione circumstantiarum adhibendam) sumtam.

2. Breviter respondemus, distinctionem hanc nihil ad rem facere, Practica enim Philosophia aequè late patet atq; Prudentia Beckii latè accepta, ea enim Prudentia ista est, quæ omnia ἐνδεχόμενα πρῶξενος ἐνεργ cōsiderat; quod si qui negat, asserat, quæso Disciplinam ἐνδεχόμενα πρῶξενος ἐνεργ cōsiderantem & à Phil: Practica specie distinctam & Phyllida solus habeto.

Nos, donec id fiat, statuemus Phil: Practicam per Prudentiam definiri non posse, cum unum non sit altero latius.

Thesis IV.

Phil: Practica absurdè definitur per Scientiam.

1. Hanc controversiam nobis movet Scribonius, qui Ethicam suam (& consequenter Phil: practicam) sic definit: Ethica est virtutum Scientia.

2. Cui quidem concedimus, posse eam Scientiam appellari sermone indistincto & vulgari, at non accurato & definitivo: ratio est, quia tam Scientia quam reliqui Habitus specie à Prudentia differt, ut videre est lib. 6. Eth. Nicom: c. 3, 4, 5, ubi Aristoteles docet, Scientiam circa necessaria & æterna, Prudentiam autem circa contingētia in actione posita versari; hinc c. 5. dicit: Ἐπεὶ δὲ ἐστὶν Φρονήσις ἀπὸ τῆς τέχνης. Prudentia neque Scientia fuerit neq; Ars. At vero Phil: Practica (cujus pars quaedam Ethica est) illa Prudentia est; quocirca nugæ venderet, & nihil definiret qui eam per Scientiam definiret, Speciem enim per oppositam Speciem definire stultitia est.

3. At, inquiunt, Phil: Practica tamen contemplatur, siquidem a-
gere

gere non potest, nisi actionis debita debitam prius cognitionem habeat: quia vero Scientiæ proprium est ἴσως , qui non videat, Practicam hoc sensu rectè Scientiam dici?

4. Respond: Si ἄσκησις seu contemplatio generaliter pro quavis cognitione sumatur, concedimus eam quoque Practicam competere, verum hæc acceptio eam Scientia nomine non dum dignam faciet; quod si ἄσκησις , strictè dicta intelligatur, eam Practicam competere firmiter negamus: ἴσως tamen seu cognitionem ei libentissime largimur.

5. Quæ responsio, ne alicui vel obscura, vel fictum aliquod subterfugium videatur, addimus distinctionis inter ἴσως & ἄσκησις claram explicationem.

6. ἴσως dicitur cognitio quæcumq; sine restrictione ad certam materiam, quæ Intellectum nostrum objectivè indeterminatum è statu ἄσκησις indeterminati in statum determinati deducit, id quod & in ἄσκησις , ἡγεσις & ποίησις contingit; unde patet ἴσως commune quid esse quod in omnibus hiis tribus reperitur.

7. ἄσκησις vero talis cognitio generalis non est, sed ad certum objectum & modum determinata, quæ cognoscit saltem res necessarias, & quidem ita cognoscit, ut in illa cognitione acquiescat, nec ad Actionem procedat.

8. Ita & ἡγεσις & ποίησις ἴσως sua gaudet, verum alio modo restricta: Illa enim res cognoscit contingentes eas, quæ sub actionem nostram cadunt, & quidem in cognitione illa non subsistit, sed ad Actionem omnia dirigit: Hæc vero res contingentes eas, quas efficiendo producere possumus cognoscit, ita tamen ut ad effectum properet, & ad id cognitionem suam applicet.

9. Hæc explicatio, apparet quam absurda sit Practicæ definitio per Scientiam instituta, item quam incongrua loquutiones, Ars contemplativa, Scientia Practicæ &c.

Thesis

Thesis V.

Phil: Practica incongruè definitur per Artem.

1. Ramei, sicut omnes alias Disciplinas sub Artis nomine protrudunt, suaq; τέχνη multū technas & officias struunt, ita & huic Practico habitui idem Genus assignant, & non assignant saltem, sed & pro eo tuendo, tanquam pro aris & focū acriter depugnant.

2. Quorum Error ut detegatur, videamus quaso, quid per Artem velint intellectū, nempe Comprehensionem Præceptorum methodicè dispositorum, in vita humana ad certum aliquem finem utilium. Hic est iste cotburnus versatilis, quem omnibus ex aquo disciplinis applicant; sive enim Sapientiam, sive Scientiam, sive Prudentiam quaras, nil apud eos nisi Artem inuenies.

3. Respondemus I. Practicam nominari posse Artem (prout vulgariter sumitur) non pugnamus, ita enim omnes Discipline Artes dicuntur liberales, id est, habitus, non à natura ingeniti, sed industria comparati. At eam per Artem, tanquam Genus verum, proprium & proximum defini posse, id est quod impugnamus; quia nimis generalis ista Artū accipio est, imò Philosophiā ipsā latior, nam & illiberalibus competit artibus, quas philosophia veras non novit filias.

4. Resp: II. Artem proprie sumtam nullo veritatū pretextu Philosoph: Practicæ Genus salutarī posse, illa enim huic contra distincta species est, ab Aristot. ita definita, Τέχνη ἔστι μὲν λόγος ἀληθὴς ποιητικὴ ἐστὶ, Ars est habitus cum recta ratione effectivus. l. 6. Eth. c. 4. ubi discrete addit Philosophus, quod ἐνδεχόμενον aliud sit ποιητὸν aliud πρακτικὸν & aliud etiam ποιησις, aliud πράξις; unde ita concludit: ὥστε ἢ ἡ μὲν λόγος ἔστι ποιητικὴ ἢ πρακτικὴ ἐστὶ τῆς μὲν λόγος ποιητικῆς ἕξεως. quare etiam habitus cum ratione activus diversum quid est ad habitu cum ratione factivo: addit porro: ὁ δὲ περιέχεται ὑπὸ ἀλλήλων, neque una ab altera continetur. ἔπερ δὲ ἡ πράξις ποιησις, ἔπερ ἡ ποιησις πράξις ἐστὶ, neque enim actio effectio, neque effectio actio est. Ex quibus

B

imm-

immotè colligimus, disciplinam Περαχλῆν per ποινῆλῆν nequaquam definiendam esse.

5. Quod si isti Τεχνηταὶ regerant, hæc omnia extra scopum vagari, cum in ista significatione Artu vocem non accipiant; Respondemus. At debebant ita (hoc est, Philosophicè) accipere; nam in Definitionibus Termini sunt sumendi proprii, rem proximè significantes, non equivoci, non remoti, non nimis generales, quibus Intellectus noster confunditur.

6. Resp. II. Artu definitio quam ipsi ponunt nulla est, & rigorosum Philosophiæ examen nequaquam sustinere potest (1) Quia habet Genus alienum, non proprium, non proximum. (2) Non exprimit veram Artis Naturam; neque enim ab ipsorum partibus stamus, qui falso sibi persuadent, Artē se hausisse, si congesta artu præcepta noverint; ita enim puer, quamprimum Grammatices præcepta memoria tradidisset, Artu peritus esset, nominandus, & secundum eam Artē agere, id est, bene loqui posset, quod tamen falsissimum. Unde apparet, Præcepta saltem medium & adjuvmentum quoddam esse ad comparandam Artē, & ita Artu saltem accedens, non Artē ipsam. Tantum de Genere Definitionis.

Thesis VI.

Objectum Phil: Practicæ circa quod, est Animus
humanus, quatenus virtute informari,
nec non virtuosas Ações edere
debet.

§. 1. In constitutione Objecti ab autoribus variari solet, dum quidam Felicitatem, quidam Virtutem alii utramq; Practicæ subjectum faciunt; quorum sententia tolerari potest, si de subjecto Tractationis sermo instituat; ita enim latissima Subjecti significatio denotat id, de quo in quacunq; disciplina tractatur, ut Zabarella notat lib. 1. de Nat. Log. cap. 15. col. 34. lit. D.

2. Quod si vero de Objecto practico propriè dicto res sit, quod operationis dicitur, quale Practicæ disciplina desiderant, (demonstrante Zabarella)

bar: l. d. col. 39. lit. D & seqq) tum neque felicitas, neque Virtus Obje-
ctum dici merentur; alterum enim Finis est, alterum Medium ducens ad fi-
nem, quæ ab Operationû objecto utiq; accuratè sunt distinguenda.

3. Proinde (1) Alii Hominem (ut rem consideratam) quatenus
habibilis seu felicitatis capax est, (ut modum considerandi.) (2) Alii
Animum humanum, quatenus virtutibus informari nec non virtuosas
Actiones edere debet. (3) Alii deniq; Actiones Humanas, quatenus
honestati sunt conformandæ; Practica Objectum faciunt.

4. Priores dua sententiæ, licet verbis discrepent, re tamen eadem
sunt; nam Homo eatenus est felicitatis capax, quatenus ejus Animus vi-
tute informari & secundum eam informationem agere potest. Ultima vi-
detur Objectum nimis contrahere. Primario enim Animus, ut Actiones ho-
nestas edere possit, informandus est, deinde ex hoc ipso Actiones informan-
tur; siquidem ex animo tanquam causa & fonte Actiones promanant, qui
si purus & rite informatus non fuerit, Actiones puras edere nequit. Hacten-
us de Definitione Phil: Practicæ, sequitur ejus Divisio.

Theſis VII.

Phil: Practicæ Partes duæ sunt: Una Communis
seu Generalis; Altera Propria
seu Specialis.

§. I. Et Hæc Practicæ Divisio non omnibus aequè arridet. Anto-
nius Mirandula (referente Piccol: introd: c. 7. & Arnisæo lib. 1. de
republ. cap. 1. sect. 3.) in libro de Honore, statuit, Universam Philo-
sophiam Civilem tradi in libris de Moribus, libros autem de Republ:
non esse partem Civilis Philosophiæ, nisi ex eventu, ob hominum sci-
licet depravationem, quæ Magistratum & Leges desideret: hæc duo
autem inventa esse, non quia Absolutè constituent Civilem Scien-
tiam, sed, ut, qui virtutis amore nolunt rectè agere, id efficiant formi-
dine pœnæ.

2. Alii quamplurimi tres faciunt distinctas Phil: Practicæ species:

B-2

Præ-

Primam Ethicam, quæ Homines singulos : Secundam Politicam, quæ in Republ: viventes; Tertiam Oeconomicam, qua Familiam informet & ad honestatem ducat.

3. Neutra nobis placet, sed à vero aberrare videtur utraque: Prima quidem falso asserit, Ethicam universam Practicæ doctrinam exhaurire; nam licet omnes virtutes, ad Summi Boni consequutionem facientes, inibi proponantur; sit tamen id nullâ ad certam materiam applicatione, quæ utique necessaria est, si cognitum esse debeat, quomodo cuilibet profectus & conditionû varietate virtuose sit vivendum, id quod Politica docet. Neque obstat, quod ex Eventu nempe ob hominum pravitatem vel Magistratus, vel Leges, vel Doctrina de Republ: inventa sint, nam & ob eandem causam Ethicæ doctrinam inventam esse, quæ negaverit.

4. Secunda divisio primo intuitu magis plausibilis videtur, verum si penitus introspectatur, error facile detegitur. Et primo quidem, falsum est, in Ethica singulorum hominum mores informari; ibi enim nequæ subjectum speciale ponitur, nequæ speciale aliquod Summum Bonum; neque specialis objecti virtutes considerantur, sed omnia Generalia sine applicatione; generale Objectum, Finis generalis, Virtutes generales, quæ omnia in Politica demum & Oeconomica Diversis objectis applicantur.

5. Verior itaque istorum sententia est, qui unam Disciplinam Practicam statuentes, eam in diversas partes, (ut in aliis Disciplinis fieri solet) dispescunt, quarum prior Communis, altera Specialis seu propria est: quia enim in hisce diversis partibus unum idemque Objectum datur, tam quo ad rem consideratam (quæ est Animus humanus ejuſque actiones) quam quo admodum (generalem) considerandi (qui est, ut in honestate informantur) diversas constituere disciplinas nequeunt, sed ad unum totum erunt referende, sicut in Physicis, Logicis, aliisque disciplinis fieri videmus.

Theſis IIX.

Pars Communis dicitur Ethica, quæ Communem Finem, nec non Communia Media ad Finem ducentia proponit.

§. I. Vox ἠθική Ethica, origine græca, latinitatû Civitate donata, vel

τα, vel δὲ τῶν ἠθῶν à moribus, quos informat, vel δὲ τῶν ἠθῶν ab satisfactiōe qua virtutis habitus comparatur, derivari solet; posteriorem Aristoteles monstrat lib. 2. Eth. c. 1.

2. Quod addimus, Ethicam Communem finem nec non communia media proponere, id in precedentibus partim dictum est, in sequentibus nempe Tractatione ipsa dilucide patebit, quare non è re est, huic multum immorari, sed ad specialem Ethices divisionem pergere.

Thesis IX.

Ethicæ partes duæ sunt; prior est Ἐυδαιμονολογία,
posterior Ἀρεθολογία.

Desumpta est hæc Divisio à Subjecti diversitate; siquidem in Ethica
1. Finis ad agendum movens. 2. Medium ad Finem perveniendi traditur.

Thesis X.

Ἐυδαιμονολογία est prior pars Ethicæ in qua Summum
Bonum Civile, in sua Essentia & Accidentibus consideratur.

§ 1. Hinc facile dispalefcit cur pars illa Ἐυδαιμονολογία dicatur,
nempe: ejus subjectum est Felicitas, Finis nostrarum Actionum, qui Ἐυδαιμονία hoc est Beatitudo seu felicitas græcè dicitur.

2. Questio hic moveri solet; An Summum Bonum pars Ethicæ esse possit, cum sit ejus Finis? Respondetur: Est Finis virtutum, & pars tractationis Ethices; ita diverso modo utrumq; dici potest.

Thesis XI.

In Doctrina Ethica, Ἐυδαιμονολογία merito
præcedit Ἀρετολογία,

§ 1. Hæc est Nobilis illa controversia inter Doctissimos & Genero-
sos Zabarellam & Piccolomineum ingenti conatu & vehementia agita-
ta; nempe, an Disciplinæ practicæ Methodo saltem Analytica seu Re-
solutiva, an vero Synthetica quoque seu Compositiva conscribi pos-
sint: prius Zabarella recte; posterius Piccolomineus male defendit.

2. Quæ opinionum diversitas ut recte intelligatur, probè observan-
dum hic non queri, an Ethica vel alia demum disciplina practica juxta or-
dinem syntheticum tractari & conscribi ab aliquo possit; videmus enim à
Piccolomineo id factum; sed: an id ipsum rite fiat, id est, salva integritate
disciplinæ, & salva regula ordinis, ut Arniseus loquitur lib. 2. Relect.
Polit. in proœm. sect. 3. num. 7.

3. Id quod cum Zabarella adversus Piccolomineum negamus, eamq;
ob causam Resolutivæ Methodo Ethicam includimus, in qua processus fit
à Fine ad Media. Necessitati rationem videmus, quod Fine ignorato de
Mediis agere incassum laboratur, Cognitionis autem Ordo postulat, ut ea
primo loco præmittantur, quibus ignorati reliqua sciri nequeunt. Ergo,
cum Omnia quæ in Ethicis discenda proponuntur, ex fine dependeant, meri-
to eum in Tractatione præcedere colligimus, cum ab ipsa natura cautum sit,
ut ne Finem ignoret, qui media ad eum perveniendi querit: Latius demon-
strante Zabarella lib. 2. de Meth. c. 9 & Arniseo lib. 2. Relect. Polit.
in proœm. sect. 3. quo exactam controversiæ hujus decisionem cupientem re-
mitte.

Thesis XII.

Ethicæ Doctrina è Scholis Christianorum non
est exterminanda.

§ 1. Hanc Thesis à nobis extorquet Scriptum quoddam L. Paulini
Gothi

Gothi Episcopi Strengnensis in Suecia, quod Scholas Ethicas vocat; in quo plenus adversus Aristotelem odii, vehementer contendit; Ethicam Aristotelis imperfectam esse, Obscuram, impiam, nec non Ethicæ Christianæ in Scripturis propositæ contrariam, & ob id in Scholis Christianorum juventuti non proponendam.

2. Rationes assert non una: modo Aristotelis vitam impiam & religionem vanam: modo, quod virtutes Theologicæ verusq; Dei cultus inibi non proponatur: breviter; virtutes Theologicas & Philosophicas, ut unus cocus multa jura, imperite confundit: Virtutes Ethnicorum nominat umbram, larvam, fucum, superstitiones, præstigias & nullo modo tolerandas aut laudandas.

3. In quorum omnium probatione valde prolixus dictus Autor, quam plurima Scriptura dicta coacervat, quæ partim non Usus Ethicæ sed Abusum tollunt, partim Ethnicorum vitam non doctrinam Philosophicam tangunt; in cæteris more agit Ramistico, ut Aristotelem ejusq; eruditionem traducat & in dubium vocet.

4. Nos ut opinioni isti Phil. Practicæ vim & injuriam inferenti obviam eamus; distinguimus 1. Inter virtutes Theologicas & Philosophicas. 2. Inter Finem Theologiæ & Practicæ diversum. 3. Inter Doctrinam ab Ethicis conscripam ex recta ratione & Legè Naturæ promanantem, & vitia proterseq; Ethnicos.

5. Quibus positis dicimus; Ethicam ob id imperfectam dicendam non esse quod Dei cultum, virtutesq; Theologicas non docet, quia id munus ejus non est; siquidem felicitatem civilem tantummodo consequendam tractat; non Cælestem, non Dei cultam considerat, & ita ex illa Legè Naturæ parte eruta est, quæ Actiones erga proximum civiles dirigit.

6. In se igitur perfecta est Ethica, quia omne id clarè & aperte tradit quod ad Finem hunc civilem requiritur, omnes nempe virtutes explicat quarum ductu ad Felicitatem Civilem perveniri potest: nam sicut Bos eam ob causam Imperfectus in sua natura non dicitur quod ratione caret, cum ratio ad ejus perfectionem non pertineat; ita Ethica ob absentiam doctrinæ Theologicæ imperfecta dici nequit, cum hæc ad perfectionem suam nihil faciat; licet Ethicam in relatione ad Theologiam imperfectiorem esse libenter concedamus.

7. Puerilis autem sequela est: Ethnicus conscripsit Ethicam. Ergo est rejicienda, nam eadem vi concludo: Ethnici conscripserunt universam Philosophiam. E. & hac est abolenda: Nec praestantior colligendi modus: Aristoteles fuit impius. E. & ipsius Ethica impia est: Nam quo ad primum; Ethica non est Ethnicum quid, sed in Lege naturæ firmissime fundatum; ergo ex ratione errante non procedit, quod § 2. objectum fuit, licet ratione errante præditi homines eam conscripserint; quo ad secundum, dicimus Ethicam Aristotelis non considerandam esse in concreto, sed Abstracto; quatenus in Lege Naturæ fundata est, non quatenus ab Ethnico, vel errante vel impie vivente Aristotele conscripta.

8. Audiamus igitur Dn. Chemnitium Theologum post Lutherum celeberrimum, qui in LL. CC. Loco de Lege Dei, Tit: De Lege Naturæ asserit, Notitiam Naturalem (quali & Ethica est) Jus Dei esse, & à Deo Ethnicis patefactum Rom: 1. v. 32. & 19, propterea Leges Naturæ divinas nominat, quarum veram explicationem, demonstrationes & congruentes sententias seu apud Philosophos seu apud Legislatores debeamus magnifacere.

9. Discamus igitur (verba sunt Chemnitii l. d.) amare, venerari, magnifacere Sententias Morales congruentes Legi Naturæ, ubicunque extant & legantur, apud Poetas, Historicos, Philosophos, Legumlatores &c. quia sunt Jus divinum, & veritas Dei divinitus patefacta. Hac Chemnitius rectissime; quibus definitionem Legi Naturæ addit talem: Lex Naturæ est Notitia Legis divinæ, naturæ hominis insitæ; & simul demonstrat, quomodo Lex Naturæ ab Ethnicis tradita cum Decalogo consentiat.

10. Videant ergo Gothus & alii Practicæ contempto res quomodo hæc cum suis concilient, ubi Ethicam, Virtutes Morales ex Lege & Cognitione naturali optime & clarissime explicantem, impiam dicunt & Christiana Ethica contrariam; Nos quia assertum falsum videmus & impium, Legem divinam Naturæ peccantem: Thesin nostram censemus firmam, ex eo, quod juventutem Christianam in Actionibus virtuosis ad Felicitatem practicam facientibus optime & sufficienter informet.

Thesis

Thesis XIII.

Virtutes Morales (Fortitudo, Temperantia &c.) Ethnici
& Christiani in se spectatæ non differunt
essentia.

§. 1. Et Hanc Thesin dubiam imo falsam esse à Paulino Gotho creditur, dum scribere non erubescit, Virtutem Ethnici & Christiani omnibus causis, Efficiente, Forma, Fine, differre. Causam Efficientem Virtutum in Renatis dicit Spir: Sanctum; In Ethnicis Mentem & Voluntatem corruptam: Formam Virtutum in illis 1. Dei mandatum, 2. Fidem: In his vero vel convenientiam cum Lege Naturæ, vel Mediocritatem (quam esse dicit, si quis leviter saltem sit virtuosus; ridicula sane explicatio & nimiam hominis in Ethicis ignorantiam prodens), Finem Virtutum Renatorum 1. Dei gloriam, 2. Fidei demonstrationem, 3. Proximi salutem, 4. Angelorum bonorum amicitiam, Malorum evitacionem; Ethnicorum vero, sive Virtutis pulchritudinem, sive gloriæ & famæ aucupium, sive Utilitatem publicam aut privatam, sive demique poenarum evitacionem, juxta versum:

Oderunt peccare boni Virtutis amore,

Oderunt peccare mali formidine poenæ.

2. Respondemus nos, 1. Spir: S non esse causam Efficientem Virtutū Moralū in Renatis (proximam de qua hic sermo est) nisi remotam voluntatem, autem recta rationi, obsequentem, causam hanc dicimus tam in Renatis, quam in Ethnicis, quamquam libenter concedimus gratiosam Spir: Sancti presentiam apud Ethnicos non esse; hæc enim sive absit sive adsit, proximam causam non tollit multo minus Virtutū Essentiam, immutat. Quod vero Gothus addit Mentem & Voluntatem corruptam in Ethnicis virtutū causam esse, falsissimum est, si quatenus corrupta est, eam intelligat; tunc enim nil nisi vitiose agere potest, nullius vero virtutis causa esse: dicimus igitur Mentem & Voluntatem corruptam, quatenus ad amissam perfectionem per relictas imaginis divine scintillas, tendit, virtutū in homine Ethnico & Renato causam proximam esse.

C

3. Resp.

3. Resp. II. Dei Mandatum Formam Virtutis (proprie dictum) esse, absurdum est, quia extra Virtutis Essentiam est; Regulam esse concedimus; neq; asumen olet Philosophicum, si quæ Fidem statuat Formam Virtutum Moralium Essentialem in Renato; accidentalis seu assistens esse potest, non informans; quia per id Renato neq; Temperans dicitur neq; Fortis, quod credit & fide præditus est; sed quod temperanter vivit & neq; timide neq; temere pericula ex justitia præscripto adit; Unde colligimus immote, tam in Renato quam Ethnico Virtutis moralis Formam, Mediocritatem esse.

4. Resp. III. De Fine concedo, quod alios intermedios Renato habere possit, atq; Ethnicus, sed hoc nihil ad Essentialem virtutum differentiam, siquidem finis talis varius pro voluntate nostra suscipi potest. Finis tamen proprius & in certo genere (moralis) summus & in Renato & in Ethnico idem est, nempe si Virtutes illæ (ex: gr. Liberalitas) moraliter, non vero Theologicè suscipiantur.

5. Cæterum ea, quæ de Ethicæ fine dictus autor profert, falsa sunt: Quidam virtuosam vitam suscipientes, talem sibi finem proponere possunt, verum Ethicæ nullum talem ultimum monstrat, sed Felicitatem; quæ quælibet sit, disputatio sequens ostendet. Sufficit hac vice demonstratum esse, Virtutes in Ethnico & Renato causis non differre.

Thesis XIV.

Juvenes in Virtutum doctrina probè sunt informandi.
Ergo non possunt saltem sed debent esse Auditores Ethicæ.

§. 1. Assertum hoc nostrum cum esato Aristotelis pugnare videtur, qui lib. 1. Eth. cap. 1. circa fin. inquit: Πολιτικῆς δὲ καὶ ἐστὶν οὐκ ἀπαραίτητος ὁ νόμος. Civilis disciplinæ non est idoneus auditor juvenis: ratione reddit hanc; ἀπειροὶ γὰρ τῶν καὶ τὸν βίον πράττειν. Est enim imperitus actuum vitæ. Porro; cum perturbationes sequatur, frustra & inutiliter audiet, quandoquidem finis hujus non in cognitione sed in actione consistit: Deinde addit, nihil interesse, si veritate sit

te sit juvenis, sive moribus juvenilis, cum defectus non ex tempore dependeat, sed ex perturbatione, Tandem aserit, Cognitionem (Ethicor.) perinde juvenibus atq; incontinentibus inutilem esse.

2. Nos vero in Thesi censemus, Juvenem sive aetate, sive moribus, sive ex utroque, non modo in Ethicis informari posse, sed & necessario debere, idq; ob salutem & emolumentum Reipubl: ut isti in perfecta aetate, quoties necessitas flagitat, virtute sua promte subvenire possit.

3. In juvenili autem aetate informationem hanc summè necessariam ducimus, quia eo tempore nondum norant juvenes, quomodo mores suos rectè componere debeant, & ob id doctore opus est, qui animum flexibilem, & in malitie habitu nondum obduratum, sed virtutis capacem, fideliter informet, in rectam viam ducat, virtutis amorem persuadeat, ejus excellentiam verbis augeat, vitii turpitudinem detegat, Honestatù premium monstrat, & ita vatnum tenerum ad ardorem boni excitet.

4. Nec obstat, quod juveni perturbationibus multum est obnoxius; eas enim non sequitur ex habitu, sed appetitus impulsu, suavitatem desideranti; quinimo, quia perturbationibus obnoxius est, in Ethicis informari debet, ut eas sequi dediscat; quod nisi factum fuerit, suo & multo-ram malo aliquando illud Senecæ in Troad. Act. 3. sc. 1. occinet:

Dediscit animus sero quod didicit diu.

5. Sed nec illud a Sententia nos dimovet, quod juveni omnium virtutum per aetatem nondum capax est; discat in tempore quid Virtus sit, si non possit statim agere ut sit; discat, virtutem esse. Fortiter agere, vitium, vel temere vel timide; neque enim fructus cum flore est, sed florem sequitur; ita neque hic saltum Natura facit, sed cognitio actionem precedat oportet.

6. Tandem juvenem cum (ex habitu) incontinente conferri volumus: hic enim perversè agere diu consuevit; ille in utramque, partem flexi potest, pro educationis institutionisq; varietate.

7. Concludimus ergo, juvenem in virtutibus summa ope informandum esse, ut, quod minor cognovit, major agat; imo & ad laborem,

cæterasq; actiones virtuosas consuefaciendus est, ut olim apud Græcos & Romanos, quin & Barbaros. Alexander Magnus mundum non viciisset, si juveni virtutibus non studuisset; nec Scipio Carthaginem superasset, nec Romam Annibal afflixisset, nisi juvenes laborem ferre, fortiter agere, temperanter vivere didicissent.

8. Sed quid Aristoteli respondebimus? Censemus eum sententia nostra non adversari; videtur enim loqui de Auditore, non qui cognoscendi, sed agendi gratia accessit, imo qui jamdum cum ratione appetere & agere valet, & hoc est quod Auditor Aristotelis requiritur $\delta\iota\kappa\alpha\iota\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$, domesticus, proprius, qui statim ad actiones se conferre potest.

9. Quam conciliationem si quis non acceperit, ù vel meliorem afferat, vel sententiam nostram rationibus evertat; nam quod vulgo dicitur, Aristotelem inter juvenem ætate & moribus distinguere non immerito dubium est, ipse enim expressè dicit: $\text{Ἄλλοτε δὲ τὸ κατὰ τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ κατὰ τὴν ἡλικίαν.}$ Differt autem nihil juvenis ætate & juvenilis moribus. Tantum hæc

7166.



de Natura & Constit. Phil: 19

te fit juvenis, five moribus juvenilis, cum defectus pendeat, sed ex perturbatione, Tandem asserit, (ces) perinde juvenibus atq; incontinentibus inutile

2. Nos vero in Thesi censemus, Juvenem five a ex utroque, non modo in Ethici informari posse, sed idq; ob salutem & emolumentum Reipubl: ut isti in ties necessitas flagitat, virtute sua promte subvenire p

3. In juvenili autem etate informationem h viam ducimus, quia eo tempore nondum norunt juve suos recte componere debeant, & ob id doctore opus es aptum, & in malitia habitu nondum obduratum, sed deliter informet, in rectam viam ducat, virtutu amoi excellenciam verbis augeat, vitii turpitudinem detegat, monstrat, & ita vnum tenerum ad ar dorem boni ex

4. Nec obstat, quod juveni perturbationibus eas enim non sequitur ex habitu, sed appetitus impu derantur; quinimo, quia perturbationibus obnoxius e mari debet, ut eas sequi dediscat; quod nisi factum fa ram malo aliquando illud Senecæ in Troad. Act. 3, se


Dediscit animus sero quod didicit di

5. Sed nec illud a Sententia nos dimovet, quoo virtutum per etatem nondum capax est; discat in fit, si non possit statim agere ut sit; discat, virtutem vitium, vel temere vel timide; neque enim fructus cu rem sequitur; ita neque hic saltum Natura facit, se pracedat oportet.

6. Tandem juvenem cum (ex habitu) incon lumus: hic enim perversè agere diu consuevit; ille in flecti potest, pro educationi institutioniq; varietate.

7. Concludimus ergo, juvenem in virtutibus mandandum esse, ut, quod minor cognovit, major agat;

C 2



the scale towards document